

SECTIO I,

delineans

MERITA THEOLOGORUM.



Ordine, quem hac vice in qualibet Sectione servaturi sumus, alphabetico, sistitur primo inter Theologos loco

JOHANNES AFFELMANNUS,

Natale solum agnoscens nobilissimum Westphaliæ emporium, magnificis ædificiis Templorumque multitudine maximè conspicuum, *Susatum*, aliis ex vernaculo *Soesta* dictum. Parentibus enim prognatus ibidem est Senatoriâ dignitate eminentibus, Anno 1588. M. Nov. die Catharinæ sacro, Patre quidem *Henrico ab Affelen*, Senatore; Matre verò *Anna Michaëlis, Sim. Michaëlis*, ejusdem Reip. Consulis filia. Cum vel ipsa in infantia ingenium ei à DEO concessum haud vulgare adverteret Parens, studiis eum dicatum Scholâ primò patriam, dein Tremoniensem (in Archi - Gymnasium postmodum evectam) tum Corbachianam, denique Lippiensem frequentare jussit. In quibus omnium cum admiratione ac applausu in lingvarum artiumque studiis tantum fecerat progressum, ut Anno æt. 15. Marpurg. adire Academiam potuerit. In hac, electo sibi S. Theol. studio, Doctores suos, *Jo. Winckelmannium & B. Mentzerum*, (quos introductâ 1605. Marpurgi Religione reformatâ Giessam emigrantes comitatus est) tanto cum fructu audivit, ut Anno æt. suæ 17. summa cum laude Præfide *Mentzero de Collatione doctrinæ Zwinglii, Calvinii, Bezae & sociorum cum A. C. in XII. posterioribus Articulis* publicè disputaverit, quæ Disp. inserta est Tom. I. Dispp. Giess. num. X. Ultra quadriennium his in locis commoratus, ann. 1607. Varniacam hanc ingressus est Acad., non auguratus fortè, eidem se sua consecraturum esse merita. Attamen hæc ipsa fuit, cui præstanda ea erant. Cum enim hic substitisset biennio nondum integro, adeò de summa ejus eruditione fama increbuit, ut Ampl. Reip. Rost. Senatus, Acad. Compatronus, cui dimidiam Professorum partem constituendi jus est, Professio-